



tuę tuorumq; incurius, æternùm poeni-
tens, non placabilis unquam. Vale.

*AUGUSTINUS l. 4. con-
tra Crescon. grammaticum c. 3.
& seqq.*

INstare me dicis & provocare semper ut
ad dignoscendam veri quæstionem me-
cum vestri disceptent, sed vestros pruden-
tius ac patientius facere, qui in Ecclesiâ
tantum quæ in lege mandata sunt, popu-
los docent, nec nobis respondere cu-
rant, scientes quia si lex divina, & tot do-
cumenta legalium scripturarum nobis
quid sit melius, quid verius, suadere non
possunt, nunquam humana queat authori-
tas non discussis erroribus ad veritatis re-
gulam revocare. Quid tibi ergo visum
est, ut adversus nos illis tacentibus tu lo-
quaris? Nam si bene faciunt, cur non imi-
taris? si malè, cur laudas? Dicis quod in-
toleranda arrogantia credam me solum ter-
minare posse, quod aliis velut inexplicabi-
le visum, atque ideo judici DEO dimissum
est: cum paulò superius dixeris, hoc me vel-
le finiri post tot annos, post iudices atque
arbitros, quod apud principes tot disce-
ptantibus literatis ab utriusque partis Epi-
scopis finiri non potuit. Certe solus hinc

)(4 fata-